



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Missionis Anglicanae Societatis Iesv**

**More, Henry**

**Avdomari, 1660**

Rarum Obedientiae exemplum. Ibid.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38320**

1617. *quoniam magnificentia eius & virtus in nubibus: neque enim infra Cæ-*  
 Pl. 67. 35. los mens hominum capit quantâ cum varietate salus æterna dispensetur.  
 Adoleſcē- Hic de quo narraturus sum iuuenis quid doceret Catholica Religio ignarus,  
 tum Laus. in Gallias transmisit vt artem addiceret arma tractandi. Boloniâ in Picardia  
 Thomas. dum subsistit vtiq̃ familiariter sculptore Catholico qui vt fidem tueretur  
 Pen. domo sua relictâ transfugerat, multis inter se, vt sit, de Religione controuer-  
 santur. Catholicus non ferens blasphemias quæ à præferuido aduersario effu-  
 tiebantur prouocat Audomaropolim, quò ad vicinum Palcha se expiaturus  
 cogitabat: Iungit se non illibenter Adoleſcens comitem: venit ad Semi-  
 nariû; paucorum dierum tractatione exprimitur consensus in Catholicam;  
 neque hic stetit diuina miseratio: Cum ad militiam rediisset, literarum stu-  
 dia, consortium eorum quos viderat Adoleſcentum, horumq̃ desiderium  
 tam pertinaciter inhælere animo vt nullam quietem caperet vsquedum in-  
 ter Seminarij Alumnos censeretur: Reuertitur igitur multiplici & sumptuo-  
 sa suppellectili instructus, suluam ponit & elegantem Cæsariem in humeros  
 deſluam, anulum ex auro gemmâ fulgentem detractum auri Christo of-  
 fert in Venerabili, fratris literas contemnit magna promittentis si fidem de-  
 ferat. Prædicabilis ardor si potuisset esse diurnus: ipsa quâ inflammabatur  
 studendi cupiditas & orandi, vitales spiritus absumens tabem accelerat, ad  
 quam auertendam natiuo redditur aëri, inter hæreticos affines ingenti accep-  
 tus adgratulatione, attamen nihil etiam tunc ostendit ad spem auersionis à  
 Catholica; sed spe illa prætereuaeſcente quæ ad valetudinem confirman-  
 dam ex natali solo iniecta fuerat, maluit Audomari, tanquam in portu, pone-  
 re animam, quàm inter incerta patrij soli alleſtamenta fluctuare. Itaq; specie  
 aquarum Spadanarû potandarum valedicens suis, Dorobernio Caletum, Ca-  
 leto Audomarum vno die tenuit, & ” isthic, inquit, viuere, hic mori deside-  
 ro. ) Et quidem morti vicinior quàm expectationi viuendi, vt securior maio-  
 riq̃ cum solatio migraret optauit Societatem; Scribitur ad *Oliuerium Ma-*  
*naræum* Visitatorem, dum expectatur responsum vltimis Sacramentis muni-  
 to dies superuenit quo præſto esse debebant, at nullæ comparent literæ; an-  
 xium inter vitæ mortisq̃ metas iuuenem Rector *Schondoncus*, non minus  
 quâ æger sollicitus, vt confirmaret, magnanimâ voce atque his verbis alloqui-  
 tur ” Quandoquidem, fili, Societatem cupis ingredi, ab Obedientia tibi in-  
 choandum est, quæ potissimum apud Nos exerceri solet; Mando tibi in vir-  
 tute Sanctæ Obedientiæ, nè prius è vita discedas quàm literæ Patris Visi-  
 tatoris afferantur. ) Ille alacer addixit pro sua parte obedire. Suas interim  
 cum præuenisset Visitator literas, & verbo confirmasset (quam scripto con-  
 cesserat) admiſſionem, allato quidem nuncio lætus, ac votis ex formula rite  
 pronuntiatæ erectus præſtolatur finem, at mori non potuit donec literæ ipsæ  
 quæ expectabantur peruenirent; illis redditis, Rector ” Iam, inquit, fili,  
 ego te præcepti obedientiæ vinculo libero, & Dei voluntati permitto. ) Is ex-  
 secularis literis, & benedictione percepta, piam animam reddidit Creatori.

Rarum  
ob. dien-  
tiæ docu-  
mentum.